

Q. D. B. V.

RECORDATIONEM,

**B. KEIMANNI**

RECTORIS QVONDAM

IN HOC GYMNASIO

CELEBRATISSIMI

*ad. d. 11. August. M DC LXXXIX.*

SOLENNI ORATIONE

EXPLICANDAM,

**PATRONIS, FAUTORI-  
BUS, AMICIS**

h. e.

**KEIMANNI AUDITORIBUS  
AUT ADMIRATORIBUS**

COMMENDAT

AUDITOR ET SUCCESSOR

**CHRISTIANUS WEISE, R.**

---

*ZITTAVIÆ,*

Typis Michaëlis Hartmanni.



**R**edit iste mensis, quem anno superiori e-  
mortualem habuit honestissima virgo AN-  
NA DOROTHEA GEISLERIA, VIRI  
CELEBERRIMI DN. M. CHRISTIANI KEI-  
MANNI, RECTORIS QVONDAM IN HOC GYMNASIO ME-  
RITISSIMI, è Filiâ Neptis. Ea vero, cum exigua super-  
esset vivendi spes, ultimas suæ voluntatis tabulas ita  
confecit, ut, quæ Avum habuisset Gymnasii Recto-  
rem, quæ alterum Parentem agnosceret VIRUM CL. DN.  
M. JOACHIMUM CURTIUM GYMNASII COLLE-  
GAM TERTIUM, Scholæ simul benevolam testaretur me-  
moriam. Ac proinde Legato satis liberali nos obli-  
gatos esse voluit, ut, quoties reverteretur hoc anni  
tempus, solenni oratione nonnulla proponeremus  
ad ipsius memoriam, hoc est, ut ego mentem in ta-  
bulis expressam interpretari soleo, ad laudem & recor-  
dationem B. KEIMANNI, quem inter suos habebat  
clarissimum, pertinentia. Nec alienum est ab ordine  
nostro scæminarum agnoscere liberalitatem: postquã  
anno hujus seculi quarto lautissimum exemplum sta-  
tuit NOBILISSIMA MARIA BLECKTIA GENEROSI  
DN. ADAMI BLECKTII de RITTINGSHORN IN  
WALTER ET TÖLTZEL HÆREDITARII relicta Vidua, cu-  
jus publicum adhuc in primario nostro templo specta-  
tur epitaphium, tanto quidem luculentius, quod mil-  
le sexagenarum exprimitur summa, rerum scholasti-  
carum augmento postmodum adhibita. Cui quoni-  
am publico vel docentium vel discipulorum scripto sa-  
tis fieri nondum potuit, habeat ea nunc quaecumque;  
hoc gratæ posteritatis monumentum. Imprimis ve-  
ro dicendi meum valebit argumentum, quod displi-  
cere vel istis non poterit, qui sedere meminerunt ad  
pedes KEIMANNI. Nam quos Curia, quos Eccle-  
sia,



fia, quos Medicina, quos universa deniq; Civitas ha-  
bet præcipuos, quin KEIMANNI curas & vigilias  
adhuc de prædicent, nemo dubitat, qui virtutem eo-  
rum ac pietatem cognoverit. Unum est quod loquen-  
di & commendandi meum intercipere queat impe-  
tum. Quippe dum Rector laudat Rectorem, nihil  
agi videtur aliud, quam ut exemplo admoniti Succes-  
sores intelligant, quibus ego post mortem formulis  
depingi vel extolli voluerim: cum testimonia certè  
majore semper auctoritate pollere videantur, quæ pro-  
fecta sunt ab extraneo, nullisq; præjudiciis occupato.  
Sanè quibus mentem meam propius intueri contigit,  
ignotum non est, quam parum me abripiat vana glo-  
riæ cupiditas; istius præsertim, quæ post mortem ob-  
truditur nihil sentienti: quo tempore sufficit cursum  
& officium probasse DEO. Nam ipsa hæc Viri meri-  
tissimi recordatio, si me afficiat futurum pietatis in-  
terpretem, vel optimos quoq; capiat Auditores: fe-  
licitati jam acquisitæ nihil adjiciet: plane ut immeri-  
ta defunctorum vituperatio gloriæ in cœlis impetratæ  
nihil detrahit. Ac satis insanire mihi videntur, qui  
summum vitæ laborisq; finem, tum in existimatione,  
tum in qualiquali post obitum fama repositum ha-  
bent: parum interea seduli, quam sive gloriam sive  
perniciem reperturi sint in judicio DEI. Sed interest  
tamen Virorum benemeritorum custodiri memoriam.  
Sive enim DEUS est, cujus gratia proficiunt homi-  
nes publicè privatimq; commodi; celebranda profe-  
cto est paterna ipsius Providentia: sive nos eorum  
beneficiis quondam obstricti, referre gratiam non  
potuimus; demonstrari tamen debet paratus ad re-  
ferendum animus: seu deniq; multum in posteris va-  
let Majorum virtus, ut uno Miltiadis trophæo unus  
post alium excitetur Themistocles: insigni prorsus  
merito remp. sibi devincit, qui virtutibus in exemplo  
propositis, meliorem aut reddit aut reddere studet ju-  
ni-



niorum indolem. Quinetiam mea dicendi ratio, quam, ut in aliis, sic in argumento præfenti sum observaturus, omnem à me tum adulationis tum ambitionis removebit suspensionem. Enarrabo vitam Viri de nobis benemerentissimi. Referam quibus velut Actibus aut Scenis Vitæ hæc constiterit Fabula. Nihil audietur aliunde vel è Locis aliorum communibus depromptum. Veritatem confirmabit verborum simplicitas: utilitatem, dogmatum inde profluentium sinceritas. Et, qui noverim floruisse Virum virtutibus ab omni vel simulatione vel superbia quam alienissimis; impediri videor tum verecundia, tum ipsa cordis conscientia, quo minus in commendando colores non adhibeam, quibus in archetypo maximam enituisse gratiam constat. Cæterum ut proluxa nunc invitatione defungar, nemo fortassis requiret. Satis est polliceri Præceptoris memoriam. Ultro sic aderunt, quos è Proceribus & Civibus ipse paravit debitores. Sed tamen ut mei causa quoque faciant, quod argumento adducti sunt facturi, non dissimulo, gratam fore honorificam eorum præsentiam, quos exolutæ pietatis testes quam libentissimè sum habiturus:

P.P. d. 10. August. MDC LXXXIX.



Typis Michaelis Hammanni